

III. DĒ DELPHĪNŌ

A. Intrōductiō

1 Delphīnus est animal quod āera spīrat sed vivit in aquā. Nau-
2 tae delphīnōs in marī natantēs saepe vident, et delphīnis sequī
3 nāvēs libet. Delphīnī sunt amicissimī ergā hominēs, ut Ovi-
4 dius et Plīnius Minor indicant.

delphīnus, ī, m *seu* delphīn, delphīnis, m

nauta, ae, m. /
nāvita, ae, m.



gubernātor, gubernātōris, m.

dorsum, ī, n.

tergum, ī, n.


rōstrum, ī, n.

venter, ventris, m.

pinna, ae, f.

ōs, ōris, n.

cauda, ae, f.



mālus, ī, m.

vēlum, ī, n.


puppis, puppis, f.

gubernāculum, ī, n.

rōstrum, ī, n.

unda, ae, f.

aequor, aequoris, n.



B. Delphīnus et Sīmius (Aesōpus)

Haec fābula dē sīmiō delphīnōque est et monet lēctōrem nē
mentiātur.

1 Quīdam, maritimum iter aggressus, sīmium sēcum assūmp
2 sit. Cum ad Sūnium, Atticae prōmontorium, pervēnissent,
3 tempestās ingēns oborta est. Cuius impetū nāve diffrāctā, na-
4 tantibus omnibus, sīmius quoque natābat.

5 Delphīnus quīdam interim, eum cōspicātus et hominem ra-
6 tus esse, prōtinus accēdēns, suum suprā dorsum excēpit ut
7 salvum ad terram portāret. Ast ubi prope Pīraeum, Athēni-
8 ēnsium nāvāle, fuit, delphīnus sīmium rogāre coepit utrum
9 esset Athēniēnsis.

10 Id illō affirmante ac praetereā sē clārōs apud illōs habuisse pa-
11 rentēs, eum rŭrsus an etiam Piraeum nōsceret interrogāvit.
12 Tum sīmius, ipsum dē homine loquī arbitrātus, sē maximā
13 familiāritāte cum eō iūctum esse respondit.

14 At delphīnus, tantō mendāciō indignātus, excussum humerīs
15 sīmium in undīs dēmersit. Haec eōs fābula carpit quī, vēritātis
16 ignārī, aliōs dēcipere posse arbitrantur.

C. Dē Delphīne (Īsidōrus, *Etymologiae* 12.6.11)

Īsidōrus (c. A.D. 560–636) archiepiscopus Seville in Hispāniā fuit. Magnum opus eius *Etymologiae* est, quae dē omnibus partibus scientiae hūmānae tractant. Īsidōrus nōmen “delphīnem” ā verbō Graecō φωνή, i.e., vōce, ortum esse arguit; tunc alteram etymologiam et variās delphīnum proprietātēs dēscrībit.

1 Delphīnēs certum habent vocābulum, quod vōcēs hominum
2 sequantur, vel quod ad symphōniam gregātīm conveniunt.
3 Nihil est in mare vēlōcius istīs; nam plērumque salientēs nā-
4 vēs trānsvolant. Quandō autem praelūdunt in flūctibus et sē
5 undārum mōlibus saltū praecipitī feriunt, tempestātēs signi-
6 ficāre videntur. Hī propriē sīmōnēs nōminantur. Est et del-
7 phīnum genus in Nilō dorsō serrātō, quī crocodilōs, tenera
8 ventrium secantēs, interimunt.

D. Puer Natāns et Delphīnus Amīcus (Plīnius Minor, *Epistulae* 9.33.2–10)

Gāius Plīnius Caecilius Secundus aut Plīnius Minor (c. A.D. 61–113) fuit nepōs doctī Plīniī Maiōris et Rōmānus prōcōnsul Bīthŷniae. Multās litterās scrīpsit. In hāc epistolā Plīnius expōnit quōmodo delphīnus et puer factī sint amīcī.

1 Est in Āfricā Hippōnēnsis colōnia marī proxima. Adiacet nā-
2 vigābile stāgnū; ex hōc in modum flūminis aestuārium
3 ēmergit, quod vice alternā nunc infertur marī, nunc redditur
4 stāgnō. Omnis hīc aetās piscandī nāvigandī atque etiam na-
5 tandī studiō tenētur, maximē puerī, quōs ōtium lūsusque sol-
6 licitat. Hīs glōria et virtūs altissimē prōvehī: victor ille, quī
7 longissimē et litus et simul natantēs reliquit.

8 Hōc certāmine puer quīdam audentior cēterīs in ulteriōra ten-
9 dēbat. Delphīnus occurrit, et nunc praecēdere puerum nunc
10 sequī nunc circumīre, postrēmō subīre, dēpōnere, iterum sub-
11 īre, trepidantemque perferre prīmum in altum, mox flectit ad
12 litus, redditque terrae et aequālibus.

13 Serpit per colōniam fāma; concurrere omnēs, ipsum puerum
14 tamquam mirāculum aspicere, interrogāre, audire, nārrāre. Pos-
15 terō diē obsident litus et prōspectant mare. Natant puerī, inter
16 hōs ille, sed cautius. Delphīnus rūsus ad tempus, rūsus ad
17 puerum. Fugit ille cum cēteris. Delphīnus, quasi invitet et re-
18 vocet, exsilit et mergitur, variōsque orbēs implicat expeditque.

19 Hoc *alterō diē*, hoc *tertiō*, hoc *plūribus*, dōnec hominēs innūt-
20 rītōs marī subīret timendī pudor. Accēdunt et allūdunt et ap-
21 pellant, tangunt etiam pertrectantque praebentem. Crēscit
22 audācia experimentō. Maximē puer, quī primus expertus est,
23 adnatat nantī, insilit tergō, fertur referturque, agnōscī sē
24 amārī putat, amat ipse; neuter timet, neuter timētur; huius
25 fidūcia, mānsuētūdō illius augētur. Nec nōn aliī puerī dextrā
26 laevāque simul eunt hortantēs monentēsque. Ībat ūnā — id
27 quoque [erat] mīrum — delphīnus alius, tantum spectātor et
28 comes. Nihil enim simile aut faciēbat aut patiēbātur, sed alte-
29 rum illum dūcēbat redūcēbat, ut puerum cēterī puerī.

E. Dē Nātūrā Delphīnōrum (Plīnius Maior, *Nātūrālis Historia* 9.8–9)

Gāius Plīnius Secundus, aut Plīnius Maior, (A.D. 23–79) avunculus Plīniī Minōris et doctissimus Rōmānus auctor fuit quī scrīpsit opus longissimum quod appellātur *Nātūrālis Historia*. Haec historia dē delphīnō ab nōnō librō dē animālibus marīnīs est.

1 *Vēlōcissimum animal* omnium animālium, nōn solum mari-
2 nōrum, est *delphīnus*, *ōcior* volucre, et *ācrior* tēlō, ac nisi mul-
3 tum infrā rōstrum ōs illi foret mediō paene in ventre, nūllus
4 piscium celeritātem eius ēvāderet. Sed adfert moram prōvi-
5 dentia nātūrae, quia nisi resupinī atque conversī piscēs nōn
6 corripiunt, quae causa praecipuē vēlōcitātem eōrum ostendit.
7 Nam cum famē concitī *fugientem* in vada ima persecūtī *piscem*,
8 diūtius spiritum continuēre; ut arcū missī, ad respirandum
9 ēmicant *tantāque vī* exsiliunt, ut plērumque vēla nāvium
10 trānsvolent. Vagantur ferē coniugia; pariunt *catulōs* decimō
11 mēse aestivō tempore *bīnōs*.

12 Nūtriunt ūberibus, sicut ballaena, atque etiam gestant *fētūs*
13 *īn*fantia *īnfirmōs*; quīn et adultōs diū comitantur magnā ergā
14 partum cāritāte. Adolēscunt celeriter, *x annis* putantur ad
15 summam magnitudinem pervenire. Vivunt et tricēnis, quod
16 cognitum praecisā caudā. Abduntur tricēnis diēbus circa Ca-
17 nis ortum occultanturque incognitō modō, quod magis mī-
18 -rum est, sī spirāre in aquā nōn queunt. Solent in terram
19 ērumpere, incertā dē causā, nec statim tellūre tāctā moriuntur
20 multōque ōcius fistulā clausā. Lingua est eīs contrā nātūram
21 *aquātīlium animālium* mōbilis, brevis atque lāta, haud diffe-
22 rēns suillae. Et eīs sunt prō vōce *gemitus hūmānō similis*, dor-
23 sum repandum, et rōstrum sīmum. Quā dē causā nōmen si-
24 mōnis omnēs mirō modō agnōscunt māluntque ita appellārī.

25 Delphīnus nōn hominī tantum *amicum animal* vērū et
26 mūsicae artī, mulcētur symphōniae cantū sed praecipuē hy-
27 draulī sonō. Hominem nōn expavēscit ut aliēnum, obviam
28 nāvigiīs venit, adlūdit exsultāns, certat etiam cum nāvibus et
29 quamvis *plēna* praeterit *vēla*.

F. Cōstellātiō Delphīnis (Ovidius, *Fastī* 2.83–118)

Pūblius Ovidius Nāsō (43 A.C.–A.D. 17) fuit clārissimus poēta ab oppidō Sulmōne in Ītaliā. Multa carmina scrīpsit. Haec fābula est ab opere quod appellātur *Fāstī*, quī fēstōs diēs Rōmānōs expōnit. In hāc fābulā Ovidius nārrat quōmodo delphīnus factus sit sīdera.

- 1 *Quod mare nōn nōvit, quae nescit Ariona tellūs?*
2 *carmine currentēs ille tenēbat aquās.*
3 *Saepe sequēns agnam lupus est ā vōce retentus,*
4 *saepe avidum fugiēns restitit agna lupum;*
5 *saepe canēs leporēsque umbrā iacuēre sub ūnā,*
6 *et stetit in saxō proxima cerva leae,*
7 *et sine lite loquāx cum Palladis ālite cornix*
8 *sēdit, et accipitrī iūncta columba fuit.*

- 9 Cynthia saepe *tuīs* fertur, vōcālis Arīōn,
10 tamquam *frāternīs* obstipuisse *modīs*.
11 Nōmen Arīonium Siculās implēverat urbēs
12 captaque erat *lyricīs* Ausonis ōra *sonīs*;
13 inde domum *repetēns* puppem cōscendit *Arīōn*,
14 atque ita quaesitās arte ferēbat opēs.
15 Forsitan, infēlix, ventōs undāsque timēbās:
16 at tibi nāve tuā tūtius aequor erat.
17 Namque gubernātor *dēstrictō* cōstitit *ēnse*
18 cēteraque *armātā* cōnscia turba *manū*.
19 Quid tibi cum gladiō? *Dubiam* rege, nāvita, *puppem*:
20 nōn haec sunt *digitīs* arma tenenda *tuīs*.

21 *Ille*, metū *pavidus*, ‘mortem nōn dēprecōr’ inquit,
22 ‘sed liceat *sūmptā* pauca referre *lyrā*.’
23 Dant veniam rīdentque moram: capit ille corōnam,
24 quae possit *crīnēs*, *Phoebe*, decēre *tuōs*;
25 induerat *Tyriō* bis tīnctam *mūrīce* pallam:
26 reddidit *icta* suōs pollice *chorda* sonōs,
27 flēbilibus numerīs velutī *cānēntia* dūrā
28 trāiectus pennā tempora cantat olor.

29 Prōtinus in *mediās* ōrnātus dēsilit *undās*;
30 spargitur impulsā *caerula puppis aquā*.
31 Inde (fidē maius) tergō delphīna recurvō
32 sē memorant *onerī* subposuisse *novō*.
33 ille, sedēns citharamque tenēns, pretiumque vehendī
34 cantat et *aequoreās* carmine mulcet *aquās*.
35 dī pia facta vident: astrīs delphīna recēpit
36 Iuppiter et *stēllās* iussit habēre *novem*.